

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

11.

12.





DE  
EO, QUOD IN JUDICANDIS  
ALIORUM VITIIS RECTUM  
EST,

AUSPICIIS DIVINIS,

INDULGENTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM  
COLLEGIO,

*PRÆSIDE*

**M. BENEDICTO GOTTLOB  
CLAUSVITZ,**

S. THEOL. BACC. FACULT. PHILOSOPH. ASSESSORE  
ET AD ÆD. THOM. CONC. SABBATHICO

*D. VII. FEBR. A. C. N. MDCCXXII.*

DISPUTABIT

*AUTOR ET RESPONDENS*

**JOHANNES FRIDERICUS MAJUS, Turch. Zittaviensis**

S. Theol. Stud. & Magist. Candidatus.

---

*LIPSIAE,*

Typis HENRICI CHRISTOPHORI TAKKII.





DE  
BO. QUOD IN JUDICANDIS  
ALIORUM VITIIS RECTUM

EST

AESPICIS DIVINIS

INDUGENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM  
COLLEGIO

PRÆSIDÆ

BENEDICTO GOTTLIBO  
GLAUSVITZ

Æ THEOL. FACULT. PHILOSOPH. ASSessoris  
ET AD RE. THOM. CONGREGATIONIS

Æ VII. FEBR. A. C. M. MDCC. XXVI.

DISPENSAT

ACTOR RE. ASSessoris

JOHANNES FRIEDRICH MAYER, Juris Consultus  
S. Theol. Facult. & Magist. Candidatus

APPR.

Typis HENRICI CHRISTOPHORI TARKI





SPLENDIDISSIMO SENATUS COLLEGIO  
QVOD ZITTAVIÆ REMPUBLICAM  
PRUDENTER FELICITER  
CURAT

VIRIS

*Illustri, Magnificis, Prænobilissimis, Excel-  
lentissimis, Amplissimis atque Consultissimis*

CONSULIBUS,  
CONSULI-SYNDICO,  
PRÆTORIBUS,  
SCABINIS

ET

SENATORIBUS,

Mæcenatibus & Promotoribus  
demisso animi affectu  
devererandis,



HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

IN

PIETATIS ET GRATÆ MENTIS,

QVA ILLOS SUBMISSE COLIT,

TESTIMONIUM

SACRAS ESSE,

HISQVE

Certissimum Eorum Patrocinium,

ANNEXIS PRECIBUS,

UT

*Divina Clementia illos in felicitatis,*

*Qua letatur Zittavia*

FIRMAMENTUM

SALVOS ET INCOLUMES

SERVET

Sibi devotissime expetere

voluit, debuit.

JOH. FRIDERICUS MAJUS.







## CAPUT I.

### *Præcognita argumenti hujus Dissertationis exhibens.*

I.



nium, quod ab imperfectione  
fectionis deprehenditur.

Quantum mutatus sit humani generis status  
ab illo, quem habuit recens a Deo pro-  
ductum, haud difficulter perspicit, qui  
conditionem naturæ, quæ nunc est, cum  
Entis summi perfectione paulo curatius  
comparat. Dies enim fere quilibet homi-  
ni, si sollicitius ad seipsum attendat, novos  
manifestat nexos in luculentius testimo-  
introducitur sit, quicquid vitii ac imper-

A

II. *Est*



II.

*Est autem vitium privatio illius, quod ad perfectionem rei constituendam adesse debebat.* Perfectio itaque mensuram exprimit, ex cuius applicatione patefcere solet, quomodo in re peccatur. Est alias status, quo res aliqua illud possidet, quod in individujs ejusdem speciei tanquam finibus ejus non repugnans observatur. Ex quo liquet, eo difficilius esse de rei perfectione pronunciare sententiam, quo abstrusior est finium Dei cognitio.

III.

Cum vero omnis hic labor ad diducanda hominis vitia a nobis suscipiendus sit, necessarium esse ducimus, ut dispiciamus, quænam potissimum vitiorum genera sint, quæ sub censuram venire queant. Perfectio autem, ut jam notavimus, determinat imperfectum, hinc facile patebit, quæ vitia homini adscribi debeant, si ejus perfectio clarius innoverit. Dicimus vero illam statum a Deo in condito homine intentum facultatibus ejus in relatione ad fines Dei convenientem. Quicquid igitur huic repugnat, meretur, ut in classem vitiorum referatur, licet non eodem imputationis jure. Considerari alias potest homo ita, ut perfectiones ejus examinentur secundum ordinem, quem naturæ Deus inesse voluit, vel secundum legem, qua actiones humanas dirigi constituit. Hinc prout perfectiones habemus physicas & morales, sic vitia erunt quædam *physica*, quædam *moralia*, quorum priora complectuntur defectus, qui vitiant intellectum, ut sunt imbecillitates facultatum ejus, memoriæ, ingenii, judicii, & corpus, quo pertinent læsa integritas & sanitas; posteriora voluntatem perfectionibus suis destitutam sistunt, cujus exempla in pravis affectibus ubique deprehenduntur. Quod porro in perfectionibus accidere solet, ut quibusdam homines ipsa mater benevola natura exornet, quod testantur bonitas intellectus & corporis pulchritudo, quædam aliunde acquirantur, ut sunt eruditio & robur corporis exercitio acquisitum, idem experimur, quoties vitia perlustramus, ut quædam



dam nobiscum nascantur, quædam postea introducantur sive hominem physice, sive moraliter spectes, ex quibus oritur divisio vitiorum in *Naturalia & Acquisita*. Restat, ut recenseamus hominem existere vel in statu extra pactum, vel qui ex pacto derivatur. Prout autem quilibet certas requirit perfectiones, sic vitii etiam scætet, quæ ut a nobis exponantur, nemo postulat, qui expenderit, nostrum jam non esse, ut systema quoddam vitiorum exhibeamus. Alias enim dicendum esset de vitii conjugum, parentum, liberorum, herorum, servorum, imperantium, subditorum, eruditorum, theologorum, Actorum, medicorum, philosophorum, mercatorum, artificum, opificum, rusticorum &c. cui vero nec dies, nec annus sufficeret, multo minus hæ paginæ ad aliud destinata. Sufficit vitia in physica & moralia, in naturalia & acquisita distinxisse, cum ex eo diversitas quædam judiciorum de vitiiis enascatur. Sufficit classes vitiorum a nobis indicatas esse, ex quibus exempla peti possunt regulis ad dijudicanda vitia declarandis idonea.

IV.

Quoties vero intellectus noster de disconvenientia vitiorum, quæ a norma perfectionis deflectunt, statuit, toties de vitiiis *judicatur*; colligere autem licet, quod homines, quo magis rerum perfectiones cognoscunt aut se cognovisse putant, eo faciliores ad judicanda vitia existant. Hinc nexus inventu difficilis non est, cur ambitiosi tam largi sint in carpendis aliorum vitiiis. Sicut enim sunt perfectionum suarum formatores ingeniosissimi, admiratores perpetui: sic & se ipsos maxime credunt idoneos, qui nexos aliorum ex mensura hac optime æstimare, ac docere possint, quid distent æra lupinis.

V.

Judicant vero homines ita, ut nonnulli judicia mentis animo recõdita servent, alii mentis sensa manifestent propalentque. Hinc apparet, dari judicium de aliorum vitiiis *animo recõtentum* aliud, aliud vero *manifestatum*. Reticeat interim vel manifestet de aliorum vitiiis *judicium*,





cium, qui iudicat, utrumque tamen in eo consistet, ut vel simplici assertionem defectum a norma perfectionis alteri tribuat, vel ita ut simul ingratum quoddam in illum statuatur. Statuitur autem ingratum partim per imputationem defectus ad culpam, partim sine culpa in damnatum tamen alterius. Quibus adjungi posset alius adhuc iudicandi de vitii aliorum modus, quo vel vitium sine respectu ad certum individuum, cui inhæret, improbamus, vel certum aliquod individuum vitio inquinatum nigro notamus calculo.

## VI.

Manifestare etiam homines iudicia sua de vitii aliorum solere jam dictum fuit. Cum autem manifestatio hæc non sit, nisi expressio cogitationum per signa, signa vero quibus ad prodenda mentis sensa utimur, sint verba & gestus, sequitur, quod iudiciorum de vitii aliorum manifestatio vel verbis, vel gestibus fieri possit. Verba vel inserviunt tantum conceptibus intellectui simpliciter exhibendis, vel rem ita significant, ut simul commoveatur animus. Hinc ubi iudicia de aliorum vitii manifestamus, vel vitium aliorum simpliciter significamus, vel cum affectu exprobramus. Ubi notandum, quod si hæc exprobratio vitium aliquod in thesi argute redarguat ita, ut quæ certæ personæ propria sunt, non præcise spectet, communi voce *Satyra* vocatur, a famosis libellis, vulgo *Passquille* dictis, distinguenda. Hi enim vel vitii alium, cuius reus non est, insimulant, vel vitium certæ personæ ita, ut in contemptum adducatur illa, depingunt. Hæc vero qualiscunque manifestatio iudiciorum de aliorum vitii dirigitur vel ad illos ipsos, de quorum defectibus nobis optime constat, vel ad alios, qui aut bene aut male cupiunt illi, cuius naves detegimus, exploramus, dijudicamus.

## VII.

Quemadmodum vero actiones hominum considerare fas est non tantum, prout a facultatibus nostris procedunt, verum etiam in quantum



tum cum voluntate divina tanquam regula conveniunt, ita etiam in iudiciis de aliorum vitiis expendi poterit, quousque voluntati Dei tanquam regulæ respondeant. Ex quo apparet, quod iudicare de aliorum vitiis, si hæc actio simul in relatione ad legem Dei spectetur, *idem sit ac de inconvenientia, qua aliorum vitia a norma perfectionis abeunt, ita statuere, ut fines Dei hac ratione promovere intendas.* Cum vero finis Dei in homine a Deo condito sit vera hominis felicitas, manifestum est, iudicia de aliorum vitiis ad nostram aliorumque felicitatem omnino quoque referenda esse. Nos ergo, dum hac disputatione de eo, quod in iudiciis de aliorum vitiis rectum est, differimus, rectum dicimus non modo illud, quod voluntati divinæ finibusque ejus non repugnat, quod licitum alias dicere solet, verum etiam illud, quod vel lege divina tanquam actio justitiæ præcipitur, vel quod prudentia tanquam modum fines Dei promovendi, qui in thesi vix satis determinari potest, commendat.

## CAP. II.

*Argumentum ipsum de eo, quod in iudicandis aliorum vitiis rectum est exponens,*

### Sectio I.

*De iudiciis, qua de aliorum vitiis mente formamus.*

#### I.

**P**ostquam ita exposuimus, quæ inter præcognita argumenti nostri referenda videbantur, penitus ut inquiramus, quid in iudicandis aliorum vitiis rectum sit, instituti ratio postulat.

Asserimus itaque *Deum voluisse, ut iudicia de aliorum vitiis*



mente formemus, quæ cum ipsis vitiis convenient, & ut, quæ vitia sunt, pro vitiis habeamus. Cur enim quæso creator sapientissimus talem concessisset hominibus facultatem, qua cognoscant, prout se sistunt sensibus, objecta, & cur necessariam adeo cognitionis hujus ad fines Dei promovendos relationem constituisset, nisi ea ex ratione, ut actu ita cognoscere debeant? Nec potest homo judicandi vi præditus, quin ex rerum inter se comparatione colligat, hunc effectum hujus causæ merito tribui, hanc actionem ad legem referendam ab ea discrepare, quæ cognitio, ut ex sequentibus patebit, felicitati hominis promovendæ egregie subvenire potest. Ex quo patet & Deum voluisse, ut homo in judicandis aliorum vitiis, illi vitium imputet, qui in causa fuit, ut hoc vel illo defectu imperfectus existat. Ex his igitur sequitur, non peccare illum, qui surdum pro surdo, lippum pro lippo & claudum pro claudendo habet. Nec injuste agere, qui illi in vitiis naturalibus æque ac moralibus tribuit hoc, ad quod suam contulit adhibuitque operam. Quam ob rem contra justitiam nihil admittitur, si quis quorundam cicatrices de rixosa animi libidine testari agnoscit, aut male egisse illum judicat, qui ad extirpandos affectus maiesanos obligatus hoc facere renuit, eo maxime tendens, ut inveniat, quo idolis hisce litare possit. Hic autem caveas oportet, ne dum cognoscis vitia, judicium ad voluntatis arbitrium, non ad sensationem attemperes, & vitia putes, quæ velis, non vero, quæ sunt. Quod cum fieri maxime soleat, si nostrum judicium non ex ipsa sensatione sed ex relatione aliorum dependeat, operæ pretium erit, ut quoad fieri potest, experiaris ipse, quæ alteri insunt vitia, aut ne prius de illis judices, quam tutus esse possis, quod relatum habes, fidem mereri. Maxime vero peccabis, si pro lubitu fingere tibi placeat vitia, quibus alterum notes. Nam judicanda sunt vitia in altero, quæ existunt, non quæ hic vel alius habere potest. At, quæ diximus, id tantum videntur evincere, recta esse judicia mentis nostræ de vitiis aliorum, quæ si vitium cognoscendum nobis objiciatur, rei veritati conveniunt. Quousque vero rectum etiam sit, data opera, de vitiis aliorum mente judicare ex sequentibus clarius apparebit.

II. Cum



## II.

Cum vero, ut supra diximus, actiones humanæ eo potissimum dirigendæ sint, ut illis fines Dei promoveamus, cumque fines in homine condito a Deo intenti ad felicitatem ejus referri possint, judicia de aliorum vitiis, quæ mente formamus, eo quoque dirigenda esse, ut vera hominis felicitas promoveatur, certum est. Ex quo illud consequitur judicia de aliorum vitiis, in quantum nostram & aliorum felicitatem promovent, recta esse. Licitum est omne illud judicium, quo nostra & aliorum felicitas non impeditur, præceptum est omne illud judicium, sine quo felicitas hominis promoveri non potest, sive sit actio, quæ determinari potest, quod felicitatem hominis promoveat, sive modus aliquis, qui non nisi pro diversitate variarum rerum, quæ concurrunt, prudenti consilio tanquam maxime conveniens seligi potest.

## III.

Quod si vero illa judicia de aliorum vitiis, quæ felicitati homini subserviunt, recta sunt, manifestum est, recte judicari mente de aliorum vitiis, in quantum judicium eo dirigitur, ut si summi Numinis cognitio & cultus promoveri inde possint, hæc ipsa promoveantur. Nullum enim esse potest sine religione studium actiones suas ad voluntatem Dei attemperandi, nullaque adeo virtus, nulla sine virtute felicitas hominis. Ea igitur, quæ religionem mentibus ingenerandam adjuvant & tuentur, veræ hominum felicitati subordinantur. Poterit vero cognitio, quæ non tantum nostra, sed aliorum quoque vitia cognoscimus eo dirigi, ut ex hac communi sorte concludamus, naturam nostram perfectiones suas non habere a seipsa, cum, si dare sibi illas potuisset, servare quoque ita potuisset, ut non tot malis obruta natura fuisset. Neque vero est, quod existimes, noxiam videri potius religioni cognitionem vitiorum, quæ communia nobis cum aliis sunt, cum sic in Deum naturæ autorem culpa omnis devolvî videatur. Ast cum perfectiones Dei etiam ex natura cognitæ illum a culpa, quod peccati sit autor, liberent, quod vitia illa, potissimum quæ moralia dicuntur, a Deo sint, con-



concludendum non est. Si enim natura hominum vitiiis inquinata est, illa talis est vel a primo autore Deo, vel ab alio, neque vero ab autore Deo. Repughant enim ejus perfectiones per ipsum lumen naturæ manifestatæ, ergo ab alio, quæ si sollicitius expendantur, ipsa ratio nihil habet, quod veritati opponat, abusu liberæ voluntatis hominis contigisse, ut tot quidem vitiiis immerfos homines conspiciamus. Quemadmodum vero ex eo, quod excidere perfectionibus suis natura potuit, colligere possumus, quod non sit ens independens, & quod a seipso est: Ita rectum quoque est, judicare ex vitiiis illis, quæ in genere humano deprehendimus, mutatam esse in deterius naturam nostram. Poterit hæc cognitio, fastum animi humani deprimere, utque de nostra conditione demisse sentiamus, efficere, si illam cum Dei perfectione comparemus. Rectum igitur est judicium tuum, ceteris paribus hæc intelligas velim, quoties illud eo dirigis. Cumque nisi naturam in deterius mutatam credas, studio emendationis locus non sit, Deum omnino velle, ut hoc sine de vitiiis, quibus non solum ipse, sed & genus tuum inquinatum est, judices, concludi potest.

IV.

Porto vero rectum est, judicare de vitiiis aliorum ita, ut homo per illud cognoscat, quæ emendanda, quæ cavenda sint, ne via, qua ascendere ad perfectionem ex voluntate divina debet, excidat. Deus enim hac intentione produxit hominem, ut perfectus existat, nec propter perfectionem suam absolutissimam dispensat, postquam ipse homo nulla Dei culpa perfectione hac privatus habitus vitiosos sibi contraxit. Cum itaque ad perfectionis studium homo teneatur, & post lapsum multa dentur, quæ remoram injiciunt homini, ne eo pertingat, hæc vero removeri debeant, removeri autem nequeant, nisi prius cognoscantur, patet, ni fallor, quod cum Deus perfectionem hominis intenderit, voluerit etiam post lapsum judicari ab hominibus, quæ ipsos privant perfectione, ut si eadem, vel similia his in se ipsis deprehendant, emendent. Objicis; sequi ex eo tantum, quod homo quidem vitia judicare debeat, non tamen exinde fluere, quod & aliorum vitia judicare, sed quod potius debeat ad se attendere, in quibus  
vitiiis



vitiis deponendis ipsum sedulum esse oporteat. Sed respondeo, non solum emendanda sunt, sed etiam cavendum est a vitiis, quod nunquam feliciter procedet, nisi ad aliorum defectus attendas. Sanas enim expers morborum, in morbos autem incidere potest & quidem eo facilius, quo magis morborum & quibus, aut quot modis contrahantur, ignarus est. Sic in reliquis. Accedit etiam, quod multo segniores in detegendis & reprehendendis, quæ nos vitiant, quam in examinandis aliorum vitiis inveniamur, de quo recte Horatius:

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,  
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum  
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Ex his vero colligimus, quod licitum quidem sit judicare, qui hujus vel illius intellectum depravant nævi, quibus vitiis scatet voluntas, qui defectus corporis vel integritatem vel sanitatem corrumpunt. Nec repugnat cognoscere, quis modus, quo introducuntur, & quis imperfectionis gradus, quo distinguenda sunt. Quotiescunque vero teipsum emendare, vel in primis cavere hæc vel illa vitia vel plane non, vel difficulter possis, nisi ad aliorum vitia attendas, toties non tantum licite hoc sine de aliorum vitiis judicas, verum etiam præcepto te ad hoc obligari existimes. His vero positis, facile concluditur, peccare illum, qui judicat de vitiis aliorum eam ob causam, ut vanitati suæ velificetur. Pugnans enim inter se vanitas & perfectio, hæc quoniam intentio Dei, illa lapsus miserrimi pro dolor! effectus est. Qua propter nulla amplius probatione eget, cur inique agere dicendi sint, qui natura vitiis notatum se inferiorem esse reputantes contemnunt. Pertinent, huc qui propter unius facultatis in intellectu excellentiam perfectiores se existimant illis, qui hac felicitate minus gaudent. His annumerantur affectibus diversis acti, qui quod immunes se credunt ab illis vitiis, quæ in aliisprehendunt, sibi de perfectione blandiuntur. Sic avarum voluptatibus deditum, ambiciosum utroque contemnentem videas.

B

V. Re-



## V.

Rectum est, *judicare de aliorum vitiis eo fine, ut damna ab illis, qui vitiis hujus vel illius generis polluti sunt, nobis imminencia evitentur.* Fundamentum enim hujus veritatis in ipsa Dei voluntate quærendum est, qua hominem felicem esse serio intendit. Cum vero post lapsum alii huic fini divino maxime contrarientur, & potissimum per vitia aliorum corpori nostro, bonis noceri, & studium veritatis & virtutis impediri possit, sequitur, quod Deus, cum hominis felicitatem velit, etiam illum ad cavenda, quæ impedire ipsam possunt, obligaverit. Caveri autem nequeunt, nisi cognoscantur. Ex quo patet, præceptum esse, quoties hujus generis damna caveri nequeant, nisi cognoscantur, hoc sine judicare de vitiis aliorum. Præceptum ergo est, ut judicemus de illorum vitiis, quorum doctrina veritatis cognitione imbuimur, num scilicet ignorent ipsi, quæ docere debent, num præjudiciis immergi nubem pro junone commendent. Hæc tamen omnia homini non præcipiunt, ut omnium vitia cognoscat. Extra vires enim hominis positum esset, & nullius sæpe utilitatis, quoniam non omnes his vel illis vitiis inquinati ad nostram læsionem concurrunt. Inde hos tantum data opera cognoscere studeamus, de quibus metuendum, ne nobis noceant. Quapropter judicandum est de illis, cum quibus pactum inire constituimus, quippe quod minus caute susceptum plurimis perniciosum fuit. Hinc conjugis futuræ indoles, virtutes non tantum, sed & vitia exploranda. Pari modo detegenda sunt vitia, quibus commodum, quod intendis, impedire possunt illi, quorum servitiis uteris. Sic & in eligendis amicis recte facis, si ad eorum defectus attendas, ne alias deceptus magnam de ipsis conquirendi materiam habeas.

## VI.

Vidimus itaque, rectum esse, judicare de aliorum vitiis quatenus nobis judicium hoc ad præveniendam nostram utilitatem contra aliorum

rum



rum machinationes inservit. Hic vero suborsitur quaestio, an non & rectum sit, vitia aliorum cognoscere eo fine, ut ex vitiis illis cognitum adjumentum felicitatis tuae petere possis, eg. Si avarum muneribus datis in partes meas traham, aut voluptatibus dedito illis rebus, quibus vel maxime voluptatem alere consuevit, conciliare mihi studeam. Quia in re id primo manifestum est, quod si finis per se sit illicitus & actio lege prohibita, tunc quidem vel maxime illicitum sit ejus quoque generis mediis ad finem illicitum tendere. Quod si vero alter obligatus erat, ut hoc vel illud nobis, qui jure hoc ab illo exigere possumus, praestaret, tum vel maxime vari poterit, an hoc in casu vitia & affectus alterius in rem nostram vertere possimus. Quo in casu hoc etiam certum est, medium quoque per se illicitum adhiberi non posse, ut obtineas, quod jure poscere poteras. Et sic peccabis, si merita, quae quis non habet, extollere & praedicare, si vitia ambiciosi in virtutes vertere velis, ut faventem partibus tuis, quod alias aequum erat, habeas. Superest igitur solus fere hic casus, quo illud, quod lege vetitum non esse videtur, ad vitium alterius & affectum hoc animi proposito accommodatur, ut voluntas ejus per illud ipsum, quod ex hoc vel illo vitio aut affectu trahit, moveatur, ut sic de me statuatur. Quia in re hoc tamen nobis videtur, cum in vitio confirmari studio virtutis repugnet, nullus vero naturae socius confirmare alterum in vitio data opera debet, hoc quidem ex voluntate Dei fieri debere, tuto non concludi. Hoc tamen negandum non est, rationi tale quid videri posse, si perpendat, corrupta hominum ingenia rarissime determinari, ut quod ex officio debebant, nobis quidem tribuant, nisi affectibus eorum certa ratione pro causa nostra intervenientibus.

## VII.

Rectum est, judicare de vitiis aliorum eo fine, ut damna, quae inde ad turbendam societatis felicitatem oriri possunt, arceantur, ad quae averrenda, quilibet suo modo obligatur. Intuere, quae, quam misera sit hominis conditio, nisi aliorum ope tutus & felicior evadat. Jam vero alii tibi subvenire nequeunt, si felicitate sua ipsi per aliorum fraudes ac



insidias destituantur, destitui vero possunt, si non præstruatur illis ad no-  
 cendum via, ad præstruendam autem illam impareris absque cognitio-  
 ne illorum vitiorum, a quibus damna in societatem derivari possunt.  
 Ex hoc consequitur, Deum, cum communem felicitatem intenderit,  
 voluisse, ut judicemus vitia aliorum propter alios, ut, quæ inde socie-  
 tati damna dari possunt, caveantur. Ex quo tamen non concludi po-  
 terit, quod supra ostensum fuit, omnem vitam homini esse consumen-  
 dam in cognoscendis aliorum vitiis. Hoc tantum ex eo consequitur,  
 licite hoc sine de aliorum vitiis iudicium ferri, quoties occasio se ob-  
 tulerit huius generis vitia cognoscendi, præceptum esse, quoties ab hu-  
 jus vel illius generis vitiis insigne societatibus humanis damnus immi-  
 net, quod nostra opera amoveri maxime vel poterat, vel debebat. Ob-  
 ligatos ergo ad hoc officium maxime credimus illos esse, quibus præ-  
 cipua sociorum felicitatis cura incumbit. Maxime ergo illorum erit,  
 quibus potestas competit, legibus prospiciendi aliorum felicitati, ut  
 eorum, quos regunt, vitia probe sciant & cognitis illis ad coercenda  
 cavendaque illa excubent. Cui rei cognitio vitiorum, quæ huic vel  
 illi statui propria sunt, vel maxime inservire poterit. Officium quoque  
 hinc suum, quale sit, judicent, qui muneribus publicis præficiunt alios.  
 Hoc enim neglecto, jure ipsis imputari potest, quicquid damni ex eorum  
 vitiis societati nocet, dum illos officio hoc vel illo fungi voluerunt, licet  
 eos non probaverint, num digni sint, qui hoc munus, in se suscipiant.  
 Qua in re eo attentiores esse debent in examinandis officiorum candi-  
 datis, quo plures perfectiones ad munus hoc vel illud in reipublica utili-  
 tatem gerendum requiruntur, quoque majora respublica detrimenta  
 capere poterit, prout occasio nocendi ex indole muneris amplior fuerit.  
 Nec minorem obligationem habent illi, qui ad mores aliorum doctrina  
 sua formandos constituuntur. Hi ut summa, qua possunt, perspicacia  
 expendant aliorum defectus, officium jubet, quo curæ suæ traditos in  
 utilitatem publicam ornare ac perficere tenentur. His vero positis re-  
 prehendantur illi, qui propterea tantum in examinandis, aliorum navis  
 mitiores sunt, cum officii eorum ratio rigidiorum censuram ipsis in-  
 jungat, ut scilicet utilitati propriæ, seposita publica, aut affectibus suis  
 satisfaciant. Ubi circa hoc officium, quo de aliorum vitiis mente judi-  
 camus



camus hoc observari velim, nos non tam physicam, quam moralem cognitionem requirere, ad quam interdum sufficit, si cognoscamus in hoc vel illo vitio versari alterum, interdum vero etiam specialius examen causarum & quæ huc pertinent, adhibendum est.

## Sectio II.

### *De judiciis, quæ de aliorum vitiis manifestantur.*

#### I.

**E**Xpositis itaque illis, quæ ad judicia de aliorum vitiis mente formatis pertinere possunt, dispiciendum nunc erit, quid in eo, si quis judicia hæc manifestet, rectum sit. Manifestantur autem vel illis ipsis, qui vitiis laborant, vel aliis, ex quo tractatio nostra in duas quasi partes dividitur.

Rectum vero est, *ut illis manifestentur vitia sua, de quibus spes superest fore, ut nostris admonitionibus emendentur.* Sunt enim, quos rudior quædam disciplina ignaros reliquit quorundam vitiorum; alii inveniuntur, qui de multis dubitant, an sint, quæ ipsis objiciuntur vitia. Ambo imperfectionibus maximis laborant, quas ut cognoscant in emendationem suam voluntas divina jubet. Cum vero ipsi ad illud minus sæpe sint idonei, nos autem viribus instructi, obligamur illos de vitiis monere, quoties spes est, ipsos nostra admonitione emendari posse. Quod si vero certum sit, nullum admonitionibus nostris locum ab illis concessum iri, quos monemus, vel difficilius nostra, quam aliorum admonitione, quos monituros illos satis constat, illos corrigi, ex præcepto hoc a nobis fieri ceteris paribus non concludimus. Quo abire videtur locus Senecæ Epist. XXIX. in quem forte incidimus, dum hæc scripsimus. Nulli nisi audituro dicendum est, inquit. Ideo de Diogene, nec minus de Cynicis, qui libertate promiscua usi sunt, & obvios quos, que monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. Negat tandem, per simile elegans: quid enim, inquiens, si quis surdos objurget, aut natura, morbove mutos? Cum vero pronior aliquando ad emendationem esse



possit animus nunc obstinatioꝝ, admonitionibus penitus abstinendum  
 non est, si officii nostri specialis ratio aliaque circumstantia, ut monea-  
 mus, nos impellant. Quo pertinet Seneca nostri effatum: „Sapientia  
 ars est, certum petat: eligat profecturos: ab his quos desperavit, rece-  
 dat, non tamen cito relinquat, sed in ipsa desperatione extrema remedia  
 tentet. Etsi vero nostra de aliorum vitiiis judicia his ipsis, quorum  
 sunt hæc vitia in casu a nobis indicato manifestanda sunt, nobis tamen  
 hoc magis quam aliis præceptum esse non nisi in illo casu iudicabimus, ubi  
 nostra magis, quam aliorum admonitione a vitio ad virtutis tramitem re-  
 vocari posse sufficienter constiterit. Constare autem hac de re nobis  
 suo modo poterit, si specialius illud jus in alterum, vel facultatem no-  
 stram hoc in genere singularem, occasionem, quam hoc defungendi of-  
 ficio nascimur plane peculiarem, consideraverimus, tum enim credere  
 possumus non tantum licite alterum a nobis moneri, verum etiam nos  
 vel maxime ad hoc officium obligari. Ex quo specialis obligatio de-  
 clarari potest ministrorum ecclesie, ut auditores propter vitia arguant;  
 parentum, ut liberos castigent; præceptorum, ut fidei suæ commissos re-  
 prehendant; amicorum, ut amicos moneant. Quæ tamen singula excu-  
 tere instituti nostri ratio non permittit, cum de illa declaratione iudiciorum  
 nostrorum, quæ non in distinctione statuum in republica fundetur, dicere  
 animus sit, quam *correctionem fraternam* vocant illi, qui hæc in theo-  
 logia morali, vocatis in subsidium scripturæ divini oraculis, tradunt.  
 Videmur vero eousque obligari, ut & alterum de vitiiis, quæ habet mo-  
 neamus, quoties probabile est, nostra illum admonitione magis quam  
 aliorum efficaciter moveri posse. Cum vero ad illud vel maxime re-  
 quiratur, ut alter de autoritate nostra, quam habemus, illum monen-  
 di, vel de benevolo in illum animo non dubitet, non nisi is, qui com-  
 mercio nostro certo modo utitur, quemque monendi occasio nobis af-  
 fulget, moneri poterit. Non ergo moneri poterit in illo casu, ubi pro-  
 babilius sit loco emendationis expectatæ in majus societatis nostrum-  
 que damnum exacerbatum iri alterum, qua de re etiam infra dicetur.  
 Cum vero omnia hic ad emendationem alterius referamus, non obscu-  
 rum esse potest, temporis rationem maxime esse habendam, ne increpes  
 alterum vitii, cum affectibus agitur. Hoc cum sæpius accidere solet, quan-  
 do



Ad alterum de vitio coram aliis mones, nisi periculum seductionis præfens sit, silentium declarationi prævalet. Consideranda denique conditio ejus, quem meliorem fieri cupimus, num per argumenta reduci possit ad frugem, an alia via incedendum, ut emendetur; num superior an inferior, ubi prioris non taxabis vitia coram inferioribus, quoniam testante Seneca, diluitur ejus auctoritas, nec habet apud eos satis ponderis, quos posset minus obsolefacta corrigere. Hic vero principium declarationis amor rationi conveniens esse debet, quem præferas, ubicunque ad corrigendum alterum animum applicas, ipsa reprehensio modesta, nisi mens durior lenitatem dissuadeat. Quo vero non conceditur alterum convitiis proscindere, licet jus adsit aliorum vitia taxandi. Abstinent his itaque viri sapientes, quoties se parant ad demonstrandum aliis, qua in re & quo modo erraverint. Hinc non possumus non, quin injustitiæ quosdam incusemus, qui emendationem aliorum titulo quidem prætendunt, re tamen ipsa nihil præstare solent, quam ut propter solidioris demonstrationis, cui impares sunt, penuriam evomant scommata, quibus aliorum affectus sollicitent. Ejusdem generis merito habentur, qui in opprobrium aliis objiciunt, quicquid vitii olim ipsis adhæsit, nunc vero emendatum est. Similiter peccant, qui ex libidine prava aliis propter vitia illudunt, in risu solvuntur & verbis gestibusque contemptui inservientibus animum aliorum exacerbant. Nec tamen prohibetur, durius aliquid tangere illum, qui ex petulantia nos aggressus est, licet noverimus, hunc modum tractandi, nihil ad ejus emendationem conferre. Restat enim alius finis, qui vult, ut nobis insultare desistat, quem æque a Deo intentum esse propterea concludimus, quoniam felicitati nostræ hac ratione consulitur, aliena vero ex eo nihil detrimenti sentit. Sed hic caveas necessum est, ut concitato affectui nimium indulgeas & frænis undique laxatis in illum inveharis. Sic enim defensio legitima degenerat in læsionem alterius, dum neque priorem neque posteriorem finem attendens cæco impetu sequeris, quo effrenata provocat libido.

II. Re-



II.

Rectum etiam est, *manifestare nostra de aliorum vitiis iudicia aliis, quos horum vitiorum jam non accusamus, ut ad illorum emendationem, quod possunt conferant.* Si enim ad alios de aliorum vitiis disseramus eo scopo, ut illos ipsos, cum quibus jam nobis res est, emendemus, ad paragraphum præcedentem hoc referre poteris. Fundamentum vero hujus axiomatis facile perspicitur. Tenemur enim ad alterius felicitatem sive nostra, sive aliorum opera promovendam, hinc ad eorum quoque vitia, quæ huic felicitati obstant, emendanda obligamur. Quod si igitur hoc, licet non nostra immediate, aliorum tamen, nobis adjuvantibus, opera fieri possit, nostra quoque cura hac parte ad salutem eorum adhibenda est. Ex quo concludendum erit, illis vitia aliorum indicanda esse, qui vel maxime emendationem eorum procurare possunt. Unde parentibus, præceptoribus, amicis tale quid ut aperias, rectum est. Quoties vero maxime tibi probabile videtur, illos, quibus manifestas vitia, irritari & in odium tui adduci potius, quam ad studium suos emendandi declaratione tua impelli, toties arbitramur, nisi specialis muneris ratio svadecat, te ab hac obligatione, ut indices illis, esse liberum, licet non omne officium cesset, si alius nimirum superest modus, quo illos, qui vitiis indulgent, ad meliorem frugem reducere possis. Cumque etiam plurimi sint, qui iudicia sua de aliorum vitiis manifestant aliis hoc sine, ut occasionem suppeditent, qua illis noceri possit, merito tales reprehendimus.

III.

Denique rectum est, *aliis manifestare nostra de aliorum vitiis iudicia eo sine, ut caveant damna, quæ ipsis & societati metuenda sunt a vitiis.* Facile enim concedunt, qui paulo altius in perfectione Dei inquirunt, hoc numen benignissimum velle, ut humanum genus omni, qua potest, felicitate bestur. Nec repugnat idem velle, ut eas, quas dedit vires, actum etiam adhibeamus ad promovendam societatis utilitatem. Quoties ergo nos æque ac alii damna societatis hac via avertere possumus, quæ tamen & alia æque averti possint, toties ad licitum tantum hoc a nobis refer-



refertur. Quoties vero non nisi hac via, ut non ipsos vitiosos, sed alios de eorum labe moneamus, rei satis consuli potest, toties hic præcise modus præceptus est, in quo tamen adhibendo unus præ altero ad magis quid præstandum obligari potest. Fluit exinde, ut quo majora alteri ex aliorum vitiis damna instant, eo magis curet, qui prævidet aut certior de illis est, ut manifestentur. Hinc quicquid taxat, ex obligatione taxat, qui nigro notat calculo eorum scripta, ubi deprehenduntur conclusiones principiis sanæ rationis & scripturæ sacræ contrariæ. Omni jure itaque exponunt theologi adversariorum paralogismos præcipue vero, qui in fundamentis fidei formantur. Quia in re tamen maxime cavendum est, ne prout supra monuimus, aliis assignamus vitia, aut exclamemus de illis, omissis probationibus, quibus evincitur, vitium habere, quæ taxamus.


## IV.

Hoc sibi etiam illi dictum esse putent, quibus ex nostra assertionem concedi videtur, illorum vitia, qui muneri publico admovendi sunt, illis aperire, quorum est de his muneribus statuere. Si enim vitia hujus generis munus aliquod obeundum impediunt ita quidem, ut damna alicujus momenti in societatem ex iis deriventur, quæ non nisi hoc nostre indicio averti possunt, ut superioribus rem detegamus, præceptum nobis videtur. Quia in re prudentia modum, qui sit convenientissimus, commendat, necesse est. Neque immunis prorsus ab hac obligatione esse poterit is, quem in munere petendo socium vitiis maxime corrupti fors dederit, si damna societati inde oritura alia ratione impediri non possint, nisi ineptum muneri & perniciosum bono publico alterum esse ostendat. Nihil vero hoc in casu fieri debet ex studio sibi tantum prospiciendi alterique nocendi, sed ex amore boni publici. Expendendum quoque esse videtur, an si fama ejus, qui alterum hoc modo repellit, periclitetur, majora societati damna det, quam si huic vel illi muneri admotus fuerit his vel illis vitiis commaculatus. Ceterum in hac declaratione, quæ aliis aliorum vitia manifestamus, requiritur, ut simul indicetur modus, quo vitia grassantur in aliorum dam-



damnum. Absque hoc enim parum juvabis illum, cui prodis periculum, quidquid etiam de atrocitate ejus reveles. Eveniet enim, quoties declaratio hæc est obscura, aut minus sufficiens, ut ille, quem excitas, non apte se ad detinendos hostium incursus examinare valeat. Ex omnibus autem his apparet, eum peccare, qui alios propter vitia tantum carpit, ut ingeniis luxuriosis materiam suppeditet, qua petulanter joculari possint. Colligitur item, injustum esse, ut quis recenseat aliorum vitia, ut tantum in contemptum illi adducantur: nec æquum esse, ut aliorum vitia manifestemus, quoties cessante spe emendationis, nullum etiam damnum, quod ab illis metuendum sit, evitetur. Habes hic, L. B. axiomata, quæ dirigere nos in judicandis aliorum vitiis nostra quidem sententia debent. Subjecimus illis confectaria, quæ ad declarandum argumentum necessaria videbantur. Casus vel maxime speciales evolvere & dilucidare jam quidem animus non fuit, poterunt illa congrua regularum applicatione ita evolvi, ut quid & in illis rectum sit, appareat.

S. D. G.










21.  
tulisset, nec opus erat, ut ejus ingenium  
& doctrina laudibus extolleretur ab aliis, quæ sola disputatio ejus Tibi abunde declarare poterat. Strenue in illa componenda, quod non consuetudine, sed rei veritate motus testor, vires suas periclitatus est. Gratulor illi mentem veritatis & virtutis studiosam publico Philosophorum honore proxime ornandam; Tibi filium, quem ad spes tuas implendas contendere vides, ex animo gratulor. Servet illum Numen Optimum, & quem studiis sacris addixit animum, perfici, & novis in dies virtutum incrementis confirmari sinat. Tu vero, VIR PLURIMUM REVERENDE, quem nuper admodum alio ad sacrum munus evocatum gaudeo, res Tuas in ecclesiæ Dei emolumentum, & Tuorum solatium diu age feliciter! Scribeb. Lipsiæ Nonis Febr. A. cl. lccc XXII.

✠ X O X ✠











EO - Beg 2002

01 A 6736

ULB Halle  
003 096 904

3



VD 18

240 ✓









DE  
 MODUS IN JUDICANDIS  
 VITIIS RECTUM  
 EST,


PRÆSIDIIS DIVINIS,  
 INDULGENTE  
 MODO PHILOSOPHORUM  
 COLLEGIO,

PRÆSIDE  
 GOTTLOB  
 AUSVITZ,

FACULT. PHILOSOPH. ASSESSORE  
 D. THOM. CONC. SABBATHICO  
 FEBR. A. C. N. MDCCXXII.

DISPUTABIT  
 TUTOR ET RESPONDENS  
 ERICUS MAJUS, Turch. Zittaviensis  
 theol. Stud. & Magist. Candidatus.

LIPSIAE,  
 ERICI CHRISTOPHORI TAKKIL.



Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.